

1.19.5

*Impp. Valentinianus et Valens AA ad Volusianum pp.*

Si quis adversus praefectorum praetorio sententias duxerit supplicandum victusque fuerit denuo, nullam habebit licentiam iterum super eadem causa supplicandi.

*D. XV k. Oct. Romae Valentiniano et Valente AA. consss.*

[a. 365]

1.19.6

*Impp. Honorius et Theodosius AA Isidoro pu.*

Universis simul hanc observantiam remittimus, ut, a quocumque liberae condicionis constituto vel servo supplicante impetratum fuerit rescriptum, minime requiratur, per quem preces oblatae sunt.

*D. II non. Sept. Constantinopoli Varane cons.*

[a. 410]

1.19.7

*Impp. Theodosius et Valentinianus AA. ad senatum.*

Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus praecipimus refutari, nisi forte aliquid est, quod non laedat alium et prosit petenti vel crimen supplicantis indulget.

*D. VIII id. Nov. Ravennae Theodosio XII et Valentiniano II AA. consss. [a. 426]*

1.19.8

*Idem AA. Florentio pp.*

Instrumentorum exempla

non prosit precibus adiunxisse, sed necesse sit eorum in supplicatione vim exprimi, ut responsuro principi vera precatio rem aperiat cognoscendam, solis, cum necessitas exegerit, verbis precibus inserendis, quorum de sensu inter partes ita dubitari contigerit, ut etiam merito nostrum expectetur iudicium.

*D. VI k. April. Constantinopoli Florentio et Dionysio consss.*

[a. 429]